9

THEODORICI GRESEMVNDI
DE
VIOLATA IVXTA MOGVNTIAM S. CRVCE
HISTORIA ET CARMEN.

SECVNDVM EDITIONEM
ARGENTORATI
TYPIS *RENATI BECK AN. MDXIV* EXCVSAM.

Vtrumque h
de cruce p
culam auc
GRESEM
dictus, uoti,
cuparat, exi
ac in aede S. Crucis, quae extr
po libero, lateque patente fir
quod eam Moguntinorum p
lateri (b); ad quod anno l
legebatur (c); haec inter au
est, ut alibi iam a me dictu

(a) Vid. ipse infra v.
(b) Vid. Seruarium lib
§ VI p. 74, & lib V in au
(c) Vid. Idem, locis ma
(d) In adnotationibus a

Scripsit autem utrumqu
lescens, sed uir iam factus,
bus fungebatur, curas (a);
uenustesque; quin metro co
quemque a perniciosa laden
ribus, usque opido idoneis
omnibus, qui recti de litter
num sunt, nunquam non u
Kaiserbergius uulgo dictus,
mae ecclesiastes facundiae
quam Argentorati publice
altica, & lectu dignam aeq
Wimphelingo, unicus ille,
institutionis ac profectus ci
tor, patronus, carmen elega
rum, sodalitii sui decus, &

VTramque hanc de uiolata CHRISTI de cruce pendentis imagine narratiunculam auctor THEODORICVS GRESEMVNDVS, *iunior* uulgo dictus, uoti, quod febre laborans nuncuparat, exsoluendi caussa scripsit (*a*), ac in aede *S. Crucis*, quae extra moenia Moguntina in campo libero, lateque patente sita est, uni altaris illius (super quod eam Moguntinorum pietas statuerat) religiose affixit lateri (*b*); ad quod anno superioris saeculi quarto adhuc legebatur (*c*); haec inter autem, nescio quo casu, sublata est, ut alibi iam a me dictum (*d*).

(*a*) Vid. *ipse* infra v. 40 & seq. & rursum v. 656 & seq.
(*b*) Vid. *Serarius* lib. I *rerum Maguntiacarum* cap. XXXI §VI p. 74, & lib. V in uita *Adolfi I* §VIII p. 701.
(*c*) Vid. *Idem*, locis modo excitatis.
(*d*) In adnotationibus ad ipsa haec *Serarii* loca.

Scripsit autem utramque, non, ut pleraque alia, adolescens, sed uir iam factus, inter arduas officiorum, quibus fungebatur, curas (*a*); pie tamen, ac scite admodum uenusteque; quin metro consignatam insperſis, ad unumquemque a pernicioſa ludendi libidine reuocandum, pluribus, iisque opido idoneis rationibus ac argumentis; ut omnibus, qui recti de litteris sensus fuere, atque etiamnum sunt, nunquam non uisum fuit. *Ioannes Geiler*, *Kaisersbergius* uulgo dictus, uir & pius & grauis, & summae eccleſiastes facundiae, dignam utique iudicauit, quam Argentorati publice pro cathedra citaret eccleſiastica, & lectu dignam aeque praedicaret ac utilem (*b*). *Wimphelingus*, unicus ille, *B. Rhenani* iudicio, puerilis institutionis ac profectus circa litteras amator, exhortator, patronus, *carmen elegantissimum* uocauit (*c*); *Serarius*, sodalitii sui decus, & Moguntinarum rerum lucu-

lentus ſcriptor, *hiſtoriam elegante uerſu ſcriptam (d)*, & *carmen perelegans (e)*; *Haſaeus*, celeberrimus Bremenſium Theologus, *carmen non ineptum (f)*.

(*a*) Vid. *Ipſe* infra v. 672 & ſeqq.
(*b*) Vid. *Wimphelingus* in Dedicatoria ad *Zobelium*.
(*c*) In dicta modo epiſtola dedicatoria.
(*d*) Lib. I *rerum Moguntiacarum* cap. XXXI § VI p. 74.
(*e*) Lib. V in uita *Adolfi I* § IX p. 702.
(*f*) In litteris III Eid. Decembr. an. MDCCXXVI datis; quibuſcum id in uſus meos deſcriptum (quod gratus hic profiteor) beneuole mihi transmiſit.

Quod cum ita ſe habeat, haud mirandum, auctoris ab obitu utramque publici iuris factam, & poſtmodum ſemel atque iterum recuſam eſſe*. Primum autem lucem adſpexit Argentorati, una cum *Hieronymi Gebuileri* ſcholiis, cura modo laudati *Iacobi Wimphelingi*, anno MDXIV, quarti forma ordinis.

* Saepius editam eſſe dicit *Serarius* lib. V l. d. Eas inter autem eſt etiam illa, quam in praefatione *Rebus Moguntinis* generatim praemiſſa § 12 p. 13 memoraui. Dum uero *in gratiam eruditorum cum ſcholiis excuſam* eſſe dixi, tituli uerba retinui; qui quidem ita habet: *THEODORICI GRESEMVNDI, LL. Doctoris, in hiſtoriam crucis iuxta Moguntiam a milite uiolatae carmen uotiuum, ſcriptum quidem ante annos plus minus centum; nunc typis excuſum & caſtigatum, additis & in gratiam eruditorum ſcholiis. MDLXIV.*

Quod ad hanc, quam tibi hic ſiſto, primam illam *Wimphelingi* ſecutus ſum; non tamen ita preſſe. Nec enim orthographiam, quam ille adhibuit, retinui; quippe genuino ſcripturae modo non ubiuis conſentaneam: nec etiam *Gebuileri*, quae adiecit, ſcholia; quod puerorum magis, quam eruditorum, in gratiam ſcripta uideantur. Interim e *Serarii* Moguntinis unam alteramue lectionem uariantem margini adleui, & priori narratiunculae, quae ſermone ſoluto adornata eſt, unam alteramue adſperſi adnotatiunculam. Quod praefationis loco monuiſſe ſufficiat. Nunc enim de auctore GRESEMVNDO paullo curatius dicendum.

AVCTO-



AVCTORIS
BREVE ELOGIVM.

NAtus fuit *hiſtoricae* huius *narrationis* ſcriptor, THEODORICVS GRESEMVNDVS patre ὁμωνύμῳ, THEODORICO GRESEMVNDO (*a*), a patria *Meſchede*, oppidulo ad Ruram amnem in Weſtphalis, uulgari appellatione *de* MESCHEDE dicto, magni nominis iſta aetate Medico, & tum *Adolfi II*, tum *Bertholdi*, Archiepiſcoporum Moguntinenſium, Archiatro (*b*); matre uero BARBARA IMELININ (*c*).

(*a*) *Trithemius* in *catalogo uirorum illuſtrium* p. m. 176, & *de Scriptoribus eccleſiaſticis* n. DCCCXXXII p. 199 edit. Fabric. ex quo ſua dein hauſere *Hamelmannus* lib. I *de Viris in Weſtphalia ſcientia ſcriptisque illuſtribus* p. 137 opp. *Serarius* lib. I *rerum Moguntiacarum* cap. XL p. 176, *Adami* in *uitis Medicorum* p. m. 3.

(*b*) Ab *Adolfo* quidem anno MCCCCLXX; a *Bertholdo* uero an. MCCCCLXXXIV ad Archiatri munia adſcitus fuit. Litterae, quibus id innoteſcit, ita habent:

— ADOLF — *bekennen, das wir den Ehrſamen Meiſter* DIETERICH *von* MESCHEDE, *Doctorn in der Erzney, zu vnſerm Liharzt, vnd tegelichen Hoffgeſinde mit einem knecht beſtalt vnd vffgenommen haben — alſo, das er vnſer ſtetiger Artzt, vnd diener vnd hoffgeſind ſin, vns vnd vnſern dienern zu iglicher zit, ſo des not ſin, vnd er*

von vns beſchiden werdet, mit ſiner kunſt der erzney —— getruwlich verſorgen, gewarten, raten, vnd helffen ſoll biz zu end einer iglichen kranckheit, damit wir oder vnſer diener, da Got vor ſy, beladen werden mogten, vnd ſich die zit er vnſer diener iſt, in keinen andern dienſt gehen oder wenden ſoll, dadurch er von vns wandern moge, es ſye dan mit vnſerm willen —— Vnd ſo wir uber felth wandern, ſollen wir ime vnd ſinem knechte pherd, daruff ſie geritten ſin, beſtellen, vnd ob er eygen pherde zugen wurde, vnd dieſelben in vnſerm dienſt verderben, die ſollen wir ime bezahln —— Vnd vff das er ſolichs dienſt deſte bas zukommen moge, ſo wollen wir ime igliches iare —— geben funff vnd zwenzigk gulden, die ime vnſer Siegeler zu Menz in zweyn zielen ſoll vffrichten —— vnd dazu 2 fuder wins vnd 25 malter korns, die ſol ime vnſer keller zu Menz —— vfrichten, vnd ſo wir vnſere Secretarien vnd Hoffgeſind kleiden, wollen wir ime und ſinem knecht auch glich vnſern Secretarien kleidung geben, vnd wan wir oder vnſer diener ſiner zu erzny nit bedorffen, ſo mag er auch andern krangken helffen vnd rate geben —— Datum Menz am Donrſtag nach S. Antonien *tag* 1470.

BERTOLD —— *bekennen, das wir den ——* DIETERICH *von* MESCHEDE, *Doctorn in der Arznye, zu vnſerm Rate, Arz, vnd Diener vffgenommen, vnd vnſs vmb ſin forderung vffſtehenden ſolds von etwa dem ——* Adolf —— *herruhrend, gutlich mit ime vertragen haben, alſo, das wir ime fur ſoliche forderung* 180 *gulden in* 5 *iaren den nechſten, nemlich iedes iar* 20 *gulden in abſchlag, vnd fur dienſtgeldt ierlich* 30 *gulden —— geben — ſollen. Dazu wollen wir ime die obgemelte iarzal vfs ierlich* 2 *kleidt, als andern vnſern Rethen geben —— Miltenberg vf S. Michels tag* 1484.

(*c*) Cujus mentio fit in catalogo *Fraternitatis Moguntinae*, B. M. V. *&* S. Chriſtophoro *ſacrae*, cui una cum marito anno MCCCCLXXXVI nomen dederat, his uerbis: *Item, Dominus* Theodoricus *de* Greſemundt *de* Meſchede, *Medicinarum Doctor, &* Barbara, *eius uxor legitima, in die Galli LXXXVI.*

In humanis autem eſſe coepit circa annum MCCCCLXXVII. Anno enim MCCCCXCV illum octauum & decimum aetatis annum egiſſe, *Trithemius* l. d. *de Viris illuſtribus* his prodit uerbis: *Viuit adhuc Moguntiae in domo paterna, annos aetatis habens ferme decem & octo, ſub* Maximiliano *Imperatore, anno Domini, quo haec ſcripſimus, MCCCCXCV, indictione XIII*.*

* Non igitur ſequendus *Hieronymus Gebwilerus*, qui, referente *Geſnero*, uoluit, ipſum an. aetatis XL obiiſſe. Cum enim, uti infra uidere licebit, anno MDXII naturae conceſſerit, ſequeretur hoc modo, illum an. MCCCCLXXIII in lucem editum eſſe.

Si

Si *Geſnerum*, uel potius, quem modo dixi, *Gebuilerum* audias, Spirae natus fuit. conf. *Burckhardus* parte II *Commentarii de linguae latinae in Germania fatis*, cap. IV adnotat. lit. *i*) ſignata, p. 394. Quod ſi ita habet, neceſſe eſt, ut *Theodoricus* pater, cum herus, Antiſtes *Adolfus II* anno MCCCCLXXV fatis functus erat, Spiram larem tranſtulerit; non autem, ut doctiſſimus *Burckhardus* l. d. coniicit, Spirae prius aliquandiu commoratus fuerit, quam Moguntiae larem fixerit ſuum. Duobus annis ante, quam Moguntiacum uocabatur, artem ſalutarem Francofurti ad Moenum exercuit. uid. *Lerſnerus* parte II *Chronici Francofurtenſis* cap. XVI p. 59.

Ingenii quum incredibili eſſet magnitudine ac ui prope diuina, inſtitutione ductuque parentis (quem eloquentiae Italicae plurimum tribuiſſe narrat *Wimphelingus*) plus, quam pro tempore, artes, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari ſolet, arripuit; ut mirer omnino, quod & Cl. *Burckhardus* l. d. p. 393 facit, eos, qui praecocia ingenia laudatum iuere, *Adrianum* puta *Bailletum*, *Dauidem Scultetum*, *Ioannem Chriſtophorum Wolfium*, *Ioannem Henricum* von *Seelen*, *Ioannem Klefekerum*, prorſus illum praeteriiſſe.

His ſtudiorum elementis cum inſtructus eſſet, indies, qui bonarum mentium ardor eſt, ad maiora audenda progreſſus, omnes neceſſarias humanitatis ac ſapientiae partes tam celeriter, feliciterque animo complexus eſt, ut puer, ad annos maxime quindecim natus, & eruditione & eloquentia plures aetate ſibi multo maiores, quid? quod doctrina etiam liberaliter inſtitutos longe antecelluerit, ac epiſtolis, quas ſcribebat, orationibus, epitaphiis, idque genus carminibus aliis doctiſſimorum etiam animos egerit in admirationem. Audiamus modo *Trithemium*, teſtem idoneum omnino, pergrauemque, l. d. *catalogi Virorum illuſtrium: Adoleſcens excellentis ingenii, qui carmine & proſa multa ſcribit & ſcripſit miranda opuſcula cuiuscunque argumenti ornatiſſima, Ciceronianam diſertitudinem prae ſe ferentia: tantum ſui miraculum praebet, ut uelut alter* Adeodatus, Auguſtini *quondam filius, ſuo ingenio, & ſcribendi, argumentandique promptitudine multis*

(etiam

(etiam doctiſſimis uiris) ſit admirationi & ſtupori. Longe enim praecedit aetatem ingenium; quippe cum in eo tanta ſit eruditio & eloquentia ſimul, ut pares aetatis ſuae habuerit aut paucos aut nullos. Et l. d. *de Scriptoribus eccleſiaſticis ; Filium habet* (*Theodoricus*, Artium & Medicinae Doctor) *ſuo nomine* Theodoricum *appellatum, uix tria luſtra aetatis implentem, cuius admirandum ingenium & ſingularis tum eruditio, tum eloquentia multos prouectae aetatis* (*doctores etiam*) *longe praecellit* cet.

Quamuis autem natura ad litterarum humaniorum maxime propenderet amorem, non tamen illis ſolis excolendis ſe dedit, uerum etiam ad iuris animum applicuit ſcientiam, in eamque tanta incubuit contentione, ut breui LL. Doctoris reportaret ἀξίωμα, atque eloquentium iurisperitiſſimus, & iurisperitorum eloquentiſſimus paſſim haberetur *.

* Cui rei luculento indicio eſt, quod ille an. MCCCCXCIX (quo XXIII aetatis agebat annum) cum *Bertholdus* Archiepiſcopus, ſuſcepta de ſanctiore diſciplina in Cleri mores reducenda ut ſalubri ita ſeria admodum cogitatione, concilium Moguntiae coegiſſet, inter tot excellentes atque auctoritate ſpectatos, qui tum ibidem florebant, uiros unus omnium maxime delectus fuerit, qui Patres congregatos ſui admoneret officii. Quod & ſingulari illum tum facundia tum grauitate peregiſſe, gentium omnium ſententia & exemplo ſacerdotalis ordinis dignitate explicata, teſtatur *Serarius* lib. V *rerum Moguntiacarum* in uita *Bertholdi* §IX p. 809.

Inde pleno gradu ad publicos ſucceſſit honores. Praeter enim quod locum in Canonicis ad *D. Stephani* aedem inuenit, anno MDVI *Iacobo* praeter ceteros dignus uiſus fuit, cui partes Vicarii in ſpiritualibus ſiue eccleſiaſticis, ut uocari ſolet, uicarias mandaret (*a*), &, cum eas egregie prorſus ſuſtineret, biennio poſt Protonotarii, Iudicisque Sedis Moguntinae generalis (*b*).

(*a*) Operae pretium erit, ipſas *Iacobi* hic dare litteras: *IACOBVS D. G. ſanctae Sedis Moguntinae Archiepiſcopus, S. R. I. per Germaniam Archicancellarius —— Honorabili ac Deuoto, nobis in Chriſto dilecto, THEODORICO GRESEMVNDO Doctori ſalutem in Domino. Quia Venerabilis ac Generoſus —— WILHELMVS ex Comitibus de Hohenſtein, Cuſtos ac Canonicus eccleſiae noſtrae Moguntinae, ac noſter in ſpiritualibus Vicarius generalis, in negotiis eccleſiae noſtrae Moguntinae ac ſuis propriis extra ciuitatem noſtram Moguntinam poſthac quandoque abeſſe neceſſario habebit; ne ergo eo abſente quicquam, quod ad dicti Vicariatus expeditionem pertinet, quieſcat; tibi, de cuius legalitate & induſtria plurimum in Domino confidimus, omnia & ſingula,*

& singula, quae dicto Vicario nostro iuxta litteras desuper confectas in commissis dedimus, toties quoties eum, ut praemittitur, extra ciuitatem nostram Moguntinam abesse contigerit, agendi, audiendi, decidendi, & fine debito terminandi, usque ad nostram reuocationem, tenore praesentium, concedimus & impertimus. Datae in Hoeste sub secreto nostro die III mensis Ianuarii MDVI.

(*b*) Iuuabit rursum partem tabularum, quibus ei a *Iacobo* haec delata fuit procuratio, huc inferre: *IACOBVS —— Honorabili THEODERICO GRESEMVND, Doctori Canonico —— salutem ———— Nos itaque de tua legalitatis industria, probitatis prouidentia, iurisque peritia, quibus scias reprobare malum & eligere bonum, plenius confisi, te in nostrum & dictae Sedis Moguntinae Protonotarium & Iudicem generalem ex certa scientia, & matura deliberatione praeuia, deputandum, ordinandum, & creandum duximus ——— tibi praesentibus committentes, ut in iudicio nostro ecclesiastico & Sedis nostrae praedictae praesideas, nec non omnes & singulas causas, tam ciuiles quam criminales, spirituales & temporales, beneficiales & profanas, ad forum ecclesiasticum pertinentes* cet. *Datum Aschaffenburg die XII mensis Iunii MDVIII.*

Anno MDIX, d. XXX Iulii, e Canonicis, qui tum ad dictam *D. Stephani* aedem erant, *Diffinitor Cleri minoris* * electus est; proxime sequenti uero unanimibus suffragiis Collegii ad eandem *Scholasticus* **.

* *Diffinitores* autem tum uocabantur, qui lites inter Capitula uel personas capitulares exortas componebant, ac duabus declarationibus definiebant. Eligebantur e singulis Capitulis siue Collegiis ad aedes collegiales sacris.

** Vid. Chronicon *D. Stephani* sectione II de *Scholasticis*, tomo II *rerum Moguntiacarum* p. 563.

Enimuero, cum sic gratia, dignitate, honore, nominisque fama unus omnium maxime floreret, ante diem ex inopinato exaruit. Obiit autem, uita, si quis alius, longiore dignus, anno MDXII (*a*), morte, ut *Huttichius* loquitur (*b*), infelicissima, ex passionibus uuulae suffocatus (*c*).

(*a*) Vid. Chronicon *D. Stephani* modo dictum l. c.

(*b*) In Dedicatoria *Antiquitatum suarum Moguntinensium*, ut supra uidere est.

(*c*) *Gesnerus*, ex *Gebuileri* ore, in *Bibliotheca* sua, ut laudatus supra *Burckhardus* l. d. p. 394 iam notauit.

Haec inter ut eximias animi sui dotes usu confirmaret, plura scripsit: pleraque peradolescens; quaedam duodeuicesimum nondum egressus annum; nonnulla uir factus, inter officiorum, quae gerebat, publicorum procurationem. Quod enim ab munerum sibi demandato-

rum laboribus ſubſeciui habebat temporis, litteris, quas olim in oblectationibus habebat, impendit, maxima cum uoluptate ad Muſas ſuas reuerſus.

Elucubrauit autem

I Dialogum de ſeptem liberalibus diſciplinis.

II Orationem nomine Philoſophiae & Oratoriae ad rerum publicarum gubernatores.

III Dialogum de ſpurcis inſolentis & inſanientis populi Germanici ludis ac intemperiis, tempore ineuntis anniuerſarii Chriſtianorum ieiunii.

IV Carmen in Monachum quendam, dogma de B. M. V. *ſine peccato in utero concepta impugnantem.*

Quorum quidem ſingulorum notitiam nobis facit *Trithemius* l. d. *Catalogi* his uerbis; *Scripſit ad me inſignem* Dialogum de ſeptem liberalibus diſciplinis, *in quo has ipſas artes non minus eleganter, quam erudite defendit, enucleat, & commendat.* Orationem *quoque ornatiſſimam*, nomine Philoſophiae & Oratoriae ad rerum publicarum gubernatores. *Item*, de furia Germanorum *elegantem* dialogum *compoſuit*, qua tempore carnis priuii inſaniunt. In Fratrem, prenſantem manus Ordinis Praedicatorum, puriſſimam Dei parentis conceptionem ſtolide impugnantem carmen *ſcripſit.*

V Antiquitates urbis & agri Moguntini praecipuas congeſſit.

Teſtis *Huttichius*, qui in dedicatoria ſupradicta diſerte: *Egit ſuas partes, & praecipuas*, Theodoricus Greſmundus —— *qui maiorem numerum ante omnes collegit, atque, dum adhuc ſuperuiueret, bibliographo dederat, ſed neſcio, qua incuria poſt mortem infeliciſſimam a librario fuerint deperditae.* Teſtis *Latomus* in *catalogo Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Moguntinenſium* mſcr. *Laborarunt in iis* (monumentis) *eruendis ſedulo* Ioannes Huttichius, *&* Theodoricus Greſmundus, *Ictus doctiſſimus.*

VI Catalogum Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Moguntinenſium.

Pro teſtimonio rurſum loquatur *Latomus.* Sic autem ille l. d. *Franciſcus Irenicus* Theodoricum Greſemundum, *Ictum & Poetam inſignem, Moguntinum catalogum* (Epiſcoporum ſcilicet & Archiepiſcoporum) *contexuiſſe refert.*

VII Violatae ab impio nebulone Schelkropf *ſacrae crucis hiſtoriam*, quam hic exhibeo.

VIII Epiſtolas, epigrammata, epitaphia, & id genus carmina alia, fere ſine numero.

Sic enim *Trithemius* l. d. *Carmina quoque diuerſi generis, & epigrammata multa edidit. Epiſtolas ornatiſſimas etiam, tam*

tam ad me, quam ad alios, paene innumerabiles scripsit; ex quibus ingenii eius nobilissimi uiuacitas & uena colligitur.

Si *Marianum Victorium* Reatinum, Episcopum Amerinum audias, artem libros imprimendi etiam tam enixe iuuit, ut eam inuenisse uisus sit. Sic enim ille in epistolam XI *D. Hieronymi*, tom. X opp. p. m. 29; *Vrbs nunc Germaniae insignis* (Moguntia) *ad Rheni ripam posita, "ex qua, ingenio* Theodorici Gresmundi, *ars imprimendi libros primum prodiit.* Sed caue, illum audias. Id enim ex ἀβλεψία quadam sibi persuasit, atque adeo tum se, tum alios in errorem induxit. Animaduertit id doctissimus *Mallinkrot;* quem ideo audire iuuabit cap. XI *de arte typographica* p. 75; *Tandem tamen subodoratus mihi uideor, quid homini isti Italo, licet sagacissimae naris, imposuerit; locus nempe* Erasmi *ad eandem* S. Hieronymi *epistolam perperam lectus ac male intellectus, uel saltem a memoria non satis bona fide scribenti repraesentatus. Verba* Erasmi *haec sunt, de Moguntina urbe uerba facientis:* Quippe quae cum alios permultos omni doctrinae genere praestantes uiros edidit, tum uero praecipue *Theodoricum Gresmundum*, hominem ab ipsa natura ad humanitatem, ad bonas litteras, ad eloquentiam illam uere Atticam sculptum & factum. Huic urbi boni omnes bonarum litterarum studiosi non parum debent ob egregium illud ac paene diuinum inuentum stanneis typis excudendi libros *cet. Videtur enim mihi* Victorius *uel uoculam*, urbi, *inanimaduersam transuidisse, uel certe pro*, urbi, uiro *legisse; quem tamen nolim alibi eadem attentione* Erasmi, *in cuius reprehensione multus sane est, scripta euoluisse.*

Patet inde, *Clementem* Papam *XI* falli potuisse, ut hominem, quin, opinione ista in errorem raptum fuisse, ut Papam, dum in *Bulla* anno MDCCXIII prid. Non. Nouembr. *super extinctione XVI Canonicatuum seu Praebendarum in urbe & archidioecesi Moguntina*, in emolumentum academiae Moguntinensis edita, *Et dictus*, inquit, Lotharius Franciscus *Archiepiscopus intimius deplorans lacrimis, quod in ciuitate illa, "in qua ingenio* Theodorici Gresmundi *ars typographica suum susceptit exordium, scientiarum cultus suum propediem sortiturus sit exitium* cet.

Tanta uero cum ingenii esset elegantia, & non eruditionis solum, sed uirtutis etiam, morumque suauissimorum & ad recti decus compositorum laude praestaret,

doctiſſimorum tum temporis uirorum beneuolentiam ſibi conciliauit, amicitiamque; nominatim *Ioannis Trithemii* (quem aliquando Spanhemii inuiſit) *Theodorici Zobel* a *Gibelſtatt*, *Ioannis Capnionis*, ſiue, ut uernacula uocabatur, *Reuchlin*, *Eraſmi Roterodami*, *Ioannis Viglii*, *Hieronymi Gebuileri*, *Iacobi Wimphelingi*, *Franciſci Irenici*, *Beati Rhenani* (quos omnes magna ſcientiae & auctoritatis opinione tum floruiſſe notum) ut plures alios praeteream.

Ceterum, ut id addam, gracili fuit corpore, ſtatura mediocri, honeſto uultu, capillo ſubnigro, oculis caeſiis, quemadmodum id *Gebuilerum* ſibi retuliſſe doctiſſimus narrat *Geſnerus*, in ſua, quam ſemel iterumque iam citaui, *Bibliotheca*. uid. Cl. *Burckhardus* l. d.

TANTVM.



THEODORICO ZOBELO,

SANCTAE MAGVNTINAE ECCLESIAE METROPOLITANAE

CANONICO,

ET

ECCLESIASTICORVM MORVM CENSORI,

DOMINO COLENDISSIMO,

IACOBVS WIMPHELINGVS

SALVTEM.

THEODORICI GRESEMVNDI carmen elegantissimum in sacrilegam *Schelcroppii* saeuitiam iam pridem optaueram in lucem prodire: ut ephebis palam lectum ab impio eos saltim ludo dimoueret; cuius nonnullos praegnantiores locos non puduit anno superiore *IOHANNEM KAISERSBERGIVM* in cancellis Argentinensibus afferre in memoriam. Non potest suo pondere carere, quod tantus, tamque disertus concionator publicitus citauit. Neque de historiae illius uiolatae crucis ueritate subdubitandum est. Quid enim cupidus lusor ira exaestuans non audet? quid homo perditus, Deique contemptor agere formidat? Apud Maguntiacum impietatem hanc

admiſſam cur dubitem, cum apud Argentoratum uir profanus, nullo ſacro ordine praeditus, ſacerdotium tamen ementitus, in ara, uti ſacerdos, ſacrificauerit; Miſſas in ſummo templo cantarit; idololatriae anſam dederit; fonte ſacro pueros abluerit; ſcelera confitentium relaxarit; ueram Euchariſtiam ſuis profanis manibus attigerit, aliisque ſumendam porrexerit; & is propterea in Rubeaco nudius in flammas eſt coniectus, fauillasque redactus. Videbit indubie tua clariſſima Humanitas, *VIR PRAESTANTISSIME*, non absque ſingulari uoluptate hanc ſaluberrimi operis impreſſionem: docebunt illud, ſpero, fideles ludi litterarii Magiſtri ſuos ingenioſos alumnos, ad Dei laudem, ludi fugam, ad aeternam gloriam noſtri *GRESEMVNDI*, & uniuerſae Germanicae nationis. Valeat uterque meus *THEODORICVS*. Ex *Argentorato* V die menſis Martii an. MCCCCCXII.

† † †

HISTORIA VIOLATAE CRVCIS.

ANno salutis nostrae MCCCLXXXIII* fuit in his regionibus homo quidam, cui nomen *Schelkropf*; de cuius origine & patria neque aliquid adhuc compertum habeo, neque magnopere attinet rimari. Humili certe genere & ex infima plebe fuisse ortum, fama consentit: sed quod* natalium obscuritatem, ueluti alter *Herostratus*, incensor delubri Ephesiae Dianae, insigni scelere illustrarit*, immortali quadam infamia nominatissimus. Hic igitur, cum alioquin natura praeditus esset maligno ingenio, factus est etiam ultro tam licentia, quam consuetudine peccandi deterior. Neque flagitiis tantum, sed etiam infamia ipsa delectatus, in lustris & tabernis aetatem agebat. Fuit autem appetentissimus ludi; ex quo pleraque uitiorum genera, tanquam uermes e putri cadauere, ubertim erumpunt: praecipue uero impietas erga Deum inde nascitur; qua duce *Schelkropf* tantum nefas admisit, quantum uix omnibus saeculis auditum est.

* *qui* Ser.

* *illustrauit* Ser.

* Communis quidem est opinio, id anno hoc MCCCLXXXIII contigisse. Sedenim, cum aedes *B. M. V. in campo*, in quam istud salutiferae perpessionis signum, ab impio nebulone *Schelkropf* tam impie uiolatum, Moguntinorum pietas transtulit, in litteris *Adolfi I*, an. MCCCLXXXII seria post *D. Elisabethae* memoriam sexta datis, iam *S. Crucis* ueniat appellatione (*zum heiligen Crutze*) uidetur, id non hoc demum anno, sed ante iam euenisse; ut pridem tom. II *rerum Moguntiacar.* in *chronico Collegiatae* huius *ad S. Crucis* § IX p. 689 monui.

Cum enim aliquando (*a*), uolens pro consuetudine suam (*b*) fortunam ludo experiri, quosdam etiam sui similes ad eius rei communionem (*c*) illexisset (nam fere nunquam in magna ciuitate complices peccaturo defuere) itum est ab illis in quoddam diuersorium publicum, siue tabernam suburbii Maguntini *Filtzbach** appellati. nomen uero & signum ipsius tabernae *flos* erat, dicebaturque uulgo *zu der Blumen*. Cumque illic aliquandiu taxillis lusissent, contigit forte, ut *Schelkropf* parum prospera fortuna usus, pecuniam fere omnem, quam habebat, perderet, multumque detrimenti (opinione sua) acciperet; quod cum per ludi progressum nedum non emendaret, uerum etiam immodice augeret, coepit tandem (uti solebat) grauiter stomachari, & post conuitia collusoribus dicta, Deum etiam & Sanctos blasphemare. Sunt, qui referant, eum, hac ira & impietate succensum, palam fuisse minitatum, quamcunque crucifixi IESV imaginem primum obuiam habuisset, ab ea se praesentis damni poenas & uindictam repetiturum. Quod etsi huius hominis impietati plurimum congruebat, multumque credibile est, tamen id pro comperto affirmare non ausim.

(*a*) *aliequin* Serar. (*b*) *sua* Serar. (*c*) *conionem* Serar.

* Quod ne frustra quaeras, afferam, quae anonymus *Aureae Moguntiae* scriptor § XIII section. III p. 166 & seq. habet: *Inde suburbium ciuitati contiguum adhaerebat; nostra aetate subrutum cum suis calcariis fornacibus, & hospitiis, & ultimae plebis domiciliis: non adhuc extincto nomine, quod a* petrae riuo *manarat*, Filsbach, *in prolem eiusdem municipii, uelut extra ciuitatem natam & educatam, a patribus & auis cum lingua & moribus deriuato.* Destructum autem fuit temporibus *Ioannis Philippi* Electoris, quum Moguntia firmioribus munimentis cingeretur.

Hoc sane constat, eum a sociis nihil pacatiore animo digressum peruenisse ad sacellum quoddam inter aedem *D. Albani* & hanc *Beatae Virginis* ecclesiam situm; ubi iam olim haec simulacra fuerant reposita. Plenus erat *Schelkropf* haud † dubie impietatis, & qui scelus abominabile, iamdudum animo conceptum, mox effundere concupisceret; quamprimum ergo ad id sacelli peruenit, hanc imaginem Crucifixi*, ea, qua uides, atrocitate uulnerauit.

† *dubiae* Ser.

nerauit. Pro modo enim, quo illius impetum ſceleſtiſſimum adiurabat, unico ictu ceruicem Crucifixi diſſecuit*, ita ut ne ullatenus haereret quidem. Mox *diuae Virginis*, aliorumque Sanctorum ſignis cruci adſtantibus caeſim & punctim pleraque uulnera inflixit. Haud abſimilis lupo, qui maiore interdum caedis libidine, quam fame pereitus, in ouile indefenſum graſſatur.

* Et deeſt hic aliquid, & pro, *adiurabat*, forte legendum, *adiuuabat*. *Serarius* l. d. p. 701; *Quamprimum ergo ad id ſacelli peruenit, hanc imaginem Crucifixi diſſecuit; ita ut nec ullatenus* —— ceteris, quae *Wimphelingus* hic habet, omiſſis.

Hactenus *Schelkropf* debacchatus eſt. Quae uero ſequuntur, ad uindictam diuinam & miraculum ipſum pertinent. Terrificus enim & admirabilis ille cruor, quem hic tibi uidere licet, ſubito ex uulneribus a crudeliſſimo illo ſicario paſſim illatis effluxit, ceu non lignea ſimulacra, ſed uiui homines eam iniuriam perpeſſi forent. Crederes, Deum ipſum, tanto ſcelere appetitum, quodammodo indoluiſſe, & tam ſtupendo miraculo, ueluti manifeſta doloris confeſſione, mortales ad uindictam faciendam animaſſe.

Schelkropf autem, iam expleta impietate ſua, ſiue nutu Dei affixus, ſiue ipſo cruoris miraculo exterritus, inde pedem non mouit, donec a ſuperuenientibus in flagranti crimine deprehenſus, & in urbem Maguntinam captiuus deductus eſt; non iam ſuae, ſed diuinae irae memor, anxiusque metu poenarum, quas paullo poſt dedit, non quidem flagitio ſuo reſpondentes (non enim tantae impietati par ſupplicium excogitari poterat) ſed quas homini homines infligere debuerunt. Viuus enim in conſpectu populi exuſtus eſt, non longe ab urbe, eo in loco, quem *Iudaeorum aream** uulgo appellant, quod Iudaei quondam cadauera ſua illic humari ſolerent. Hac morte impiiſſimus ille *Schelkropf* conſumptus eſt.

* Conf. infra v. 607 & ſeq. Vulgo dicitur *der Iuden Sand*, ut *Serarius* ad h. l. adnotauit lib. V *rerum Maguntiacar.* in uita *Adolfi I* § VIII p. 701.

Imagines uero uulneribus & cruore inſignes ab aedicula illa ueteri ad hoc templum* ſumma ueneratione Sacerdotum manibus translatae fuerunt: ubi in hodiernum usque diem terrificus ille cruor uiſitur, & admodum religioſe colitur, multique mortales uarie afflicti, ſuſceptis uotis, Dei optimi maximi clementiam experti, & ſalutem adepti ſunt.

* *B.* ſcilicet *Mariae Virginis*, uulgo *in campis* dictum; quod exinde plerumque *S. Crucis* (*zum heiligen Crutze*, item, *des heiligen Cruz buyſſen Menz*, &, dialecto hodierna, *zum heiligen Creutz*) appellari coepit; item, *S. Crucis, alias B. Virginis in campis*: ut in *chronico* paullo ante citato § V p. 686 obſeruaui. Conf. infra v. 643.

DE

† † †

DE

VIOLATA CRVCE CARMEN.

AVrea mittebant ueteres donaria Delphos
Qui uotis essent quocunque labore leuati;
Vel quibus ad tripodas anceps consultus Apollo
Reddiderat laetas adytis per Phoebada sortes;
Vel quos afflarat roseis uictoria pennis;
Vel desiderio quouis, uotoque potiti.
Hinc paterae, fuluique, faberrima uasa, lebetes,
Cymbia, crateres, phialae, carchesia, lances,
Cuncta ex obryzo, diuini Mentoris artes,
Marmora Praxitelis, Phidiaeque ebur, aesque Lysippi,
Pyrgotelisque cauae gemmae, Zeuxisque tabellae,
Et picturatis insertum uestibus aurum,
Et clipei, & galeae, & mucrones, hostica quondam
Arma uirum, mediis radiabant fulgida Delphis.
Hic secum illustres, uulgi miracula, gemmae,
Hic & ab extremo celebres oriente lapilli
Certabant; pretium amisit numerosa supellex.
Omitto myrrham, & nostratia succina, fletus
Arborei stillas, & quae uenere quotannis
Pondera Coryciique croci, thurisque Sabaei,
Quicquid opum felix produxit Arabia, quicquid
Aethiopes, frustra periturum ardebat in aris.
Quid memorem caesasque boues, caesasque bidentes,
Et factam insanis hecatomben sumptibus ultro.
Si stygius tantos meruit cacodaemon honores,
Deludens falsa sub imagine numinis orbem;
Quid te, CHRISTE, decet? qui uero numine polles,
Cui paret terra, & terrae circumflua Doris,
Sidereique orbes, operosi machina mundi.
Quae tibi dona feram? qui nuper febre tenaci
Oppressum clemens ad uota emissa leuasti.
Reddere non equidem tibi dona uicaria possim,
Nempe ualetudo recta est pretiosior auro;
Et nisi sit; uix huic par solui gratia posset
Attalicis opibus, uix Croesi diuite gaza:
Qualia nos fugiunt Hyrcanae tigridis instar,
Et nisi non fugerent, non te tamen hostia diues,
Sed pia uerba mouent, quorum tibi conscia mens est,
Et placant modici corpuscula cerea cultus.
Ergo igitur me nunc obnoxia soluere uota
Sat fuerit, memoresque tibi posuisse tabellas;
Virginis hoc templo liceat mihi paupere uena
Non celebrata satis miracula ferre sub auras.
Reddiderim sane uotum, si carmine dicam,
Vt fuerit quondam haec Domini morientis imago,
Ac simulacra, cruci de more astantia, ferro
Indignis uiolata modis, ut robore caeso
Fluxerit horrificus per inania uulnera sanguis.
Nec uero tanti sceleris reticebitur autor,
Quas dederit poenas; & erit, quod denique lectet,

Damnosi quemcunque trahunt mala gaudia ludi.
Non ego Phoebea decerpam carmina lauro,
Sed neque Musarum uenerabor inania supplex
Numina, quas olim nugis decepta uetustas,
Esse deas credens, fulgentibus intulit astris.
Ite procul Lemures, sacroque absistite templo;
Auspicium est aliunde mihi, uos fabula uulgo.
CHRISTVS Apollo meus, uicturis uersibus ille
Aspirat genium; CHRISTVS mihi carminis autor,
Quamlibet inculti; placet huic non bractea, sed res,
Quem non docta magis, quam sancta poemata mulcent.
Quae coram simulacra crucis miranda uidemus,
Non sic effinxit, nec in hunc statuarius usum,
Vt templum hoc ornent, sed ut essent numina campo,
Quo stabant, ubi ducta uetus pro limite fossa
Vrbanae ditionis agros distinguit ab agris
Finitimis. nempe sic numina Terminus olim
Inter erat, fines qui custodiret agrorum,
Sub dio positus: nam sic rem credidit esse
Numinibus falsis quondam deluса uetustas.
Quas rerum nebulas quamuis discussit IESVS
Legifer, & uero lustrauit lumine mundum,
Multa tamen ueteri facimus de more nepotes;
Vanaque relligio pulsa est, sed ritus inhaesit.
Ergo fuit crux haec, quod prisco Terminus aeuo,
Incoluitque olim, quod nunc extare sacellum
Cernimus, inter agros, ubi se confinia scindunt,
Ad quod defessus tunc respirare uiator,
Intereaque Deum precibus placare solebat.
Praeteriit nemo, qui non (quae augusta sacello
Maiestas inerat) meritos inferret honores;
Praeter eum, qui triste nefas immaniter ausus,
Pro precibus plagas, & atrocia uulnera Christo
Impius inflixit: *Schelkropf* hic nomen habebat.
Horrida uox *Schelkropf*: Erebus sua tristia monstra
Blandius appellat; possis ex nomine mores
Discere; nonnunquam concordant nomina rebus.
Vt tamen hunc noscas, propioribus argumentis
Accipe; lusor erat, cui non sua tessera Christo
Vilior; usque adeo insana flagrabat Erinni,
Impatiens animi, nisi luderet omnibus horis;
Tunc etiam impatiens, cum luderet omnibus horis.
Haud aliter, quam quos aurata cuspide saeuus
Fixit amor, miserosque iugo subnexuit aeneo,
Durius absentes, praesentes mitius urgens,
Excruciansque animas lethali uulnere, quas si
Viuere credendum est, alieno in corpore uiuunt.
Non secus hic lusor, stygio uexatus oestro,
Perdius aut pernox ludens, aut ludere quaerens,
Aut quoniam ludus, tantae impietatis origo,
Improbus hostis adest, & * uersibus incidit ultro;
Vt solet insidias, nodosaque retia ceruus.

* Ita *Vimphelingus*, sed corrupte & sine sensu.

Hic acie paullum nobis excedere fas sit,
Fas ultore stilo mihi sit proscindere ludum,
Diraque tartarei referare exordia monstri.
Instituit primus ludum ter maximus ille
Teutates, trux daemonium, meliusque Mathesis
Inuento;

Inuento; nam quem ueteres coluere Latini
Mercurium, hunc ipſum *Teutaten* Gallia dixit,
Gallia *Teutatis* nimium ſtudioſa, quod illi
Pro pietate ferox humana caede litabat.
Scilicet hic daemon mortali ſanguine fuſo
Plaudebat uictor; nam quae cecidiſſet ad aram
Hoſtia, tartareos hanc mox rapiebat in ignes
Torquendam, fallax hominum deceptor & hoſtis,
Gaudebatque nouis animabus creſcere Ditis
Imperium; & quoniam iam olim hunc nimis alta petentem
Praecipitem caelo Dominus deiecerat, illi
Subſtituens hominem pulſo, qui iuſtior eſſet,
Qui uirtute polum redimat, ſedemque relictam
Occupet. O felix aeuum uicturus in omne.
Inuidit daemon, ſucceſſorique tetendit
Retia mille ſuo, quibus hunc ſub nigra coactum
Tartara, promiſſo miſerum defraudet olympo,
Ergo ſe humano placari ſanguine iuſſit.
Ergo *Teutates* ludos inuenit, amaram
Perniciem generis noſtri; quam, ne fugeretur,
Callidus aſperſit lucri dulcedine daemon.
Heu quantum ludi fudere cruoris ab illo
Tempore, quo primum fieri coepere per orbem;
Heu tali inuento, quantum aucta eſt horrida Ditis
Regia, tantundem uiduo decreuit olympo.
Nam ſimulac ludo uacuata eſt aſſibus arca,
Tunc metanoea ſubit; tunc mens aſſurgit in iram,
Victorisque odio flagrant praecordia uicti,
Qui ludo, aduerſaeque facit conuitia ſorti,
Et trahit in culpam ſimul omnia numina caeli.
Tunc uarii inter ſe pugnant in pectore motus,
Impia tunc ſeſe obſcenis blaſphemia labris
Protinus effundit, nulloque retenta pudore
Exſpuit in ſuperos, quod mox ultoribus illis
Ipſius in barbam recidat, ſtultiſſima lingua,
Lingua nimis petulans, & faucibus elaceranda.
Tunc propter uerbum nudis concurritur armis.
Scilicet irato quaecunque occaſio rixae
Iuſta uidetur, ut implicitam profundat Erinnym.
Cumque ſat accenſa eſt bilis, tum denique, menſis
Euerſis, acres per mutua uulnera ludunt:
Qualia Centauri & Lapithae conuiuia quondam
Aemonio deſcribuntur celebraſſe ſub antro.
Hunc uideas mutilum membris; occiditur alter,
Victima Teutati praeſenti & cuncta probanti.
Heu quantum tali conſpecto ſanguine daemon
Improbus exultat, uoto inuentoque potitus.
Horridius ludo monſtrum uix ulla tulere
Saecula, ſiue mari, ſeu terra, ſiue profundis
Vmbrarum latebris, nec perniciosius ullum
Prodidit inuentum ſtygius cacodaemon, ab illo
Tempore, quo terris fugiens Aſtraea relictis
Ad ſuperos abiit, caelique in parte recepta eſt,
Qua piger Arctophylax Helicis ueſtigia ſeruat.
Heu fuge luctiferam peſtem, qui dulcia purae
Gaudia mentis amas, qui uis hoſtilia cautus
Retia per mundum pedibus tranſire ſolutis,
Et tandem aethereos inter conſiſtere ciues.

Non debent etenim Christo quicunque dicati,
Angelicas olim gens impl.tura cohortes,
Nunc in daemonio sua gaudia quaerere ludo.
Vtque haec non tanti facias momenta salutis,
Attamen insanis furiali more Chorebi,
Qui tua committis dubiae patrimonia sorti.
Haud aliter quam si fragilem quassamque carinam
Ancipiti credas pelago, & dubitantibus Euris,
Non metuens iram Aeoliam, subitasque procellas,
Quam sequeris ludens, eius uersatile nescis
Ingenium dominae; nescis, quo perfida more
Nunc risu alliciat, caperet mox aspera frontem,
Quaeque dabat centum, mox millia mille reposcat.
Huic tu tradis opes, ut te, stolidissime rerum,
Ludentem ludat spes & frustretur inanis,
Vt lucro careas, & sortem denique perdas.
Quid? quod peius alunt monstrum haec mala saecula, nam quos
Fortunae ludos olim fortuna regebat,
Nunc regit ars, & docta cubos prouoluere dextra
In quodcunque latus cupiat; sic tessera quondam
Quae discurrebat dubiis liberrima punctis,
Nunc dominos patitur digitos, & mille subacta
Legibus, ignarum seruili decipit astu.
Expanditque tuis tenuissima retia nummis,
Qualia Cecropiae uix necteret ipsa Mineruae
Ingeniosa manus; uel qualia neuit Arachne
Idmonis; aut quali fertur posuisse catena
Lemnius insidias Veneri Martique maritus.
Decipiere, licet uigilent tibi lyncea centum
Lumina, Aristoride uel sis oculatior Argo.
Et mirum est, quam fraus oculos perstringat inertes.
Ipsius ergo licet fortunae filius esto,
Quicquid habes ludens amittes insscius artis.
Nec tibi cunctipotens poterit succurrere mater,
Contra odiis eadem haec ardens capitalibus in te
Callentem technas uana exercebitur ira.
Quamlibet inuito loculus tibi numine crescet.
Ludus enim non est ludus, sed amore peculi
Nectere mille dolos, & retia pandere stultis.
Seria res agitur, nisi me sententia fallit.
Cum tua decrescunt subito patrimonia damno,
Et quicquid proaui congesserat anxia cura,
Dissipat una dies. Sequitur, quod saepe uidemus,
Ex aula multos olidas intrare proseuchas,
Vel, qui uersabant aurum, nunc uertere glebam.
Namque alii, simulac rem decoxere fritillis,
Fodere non possunt, & mendicare uerentur,
Quos tunc dira fames caeco per quodlibet ausu
Ire nefas animat, desperataque salute,
Non pudet humanae naturae indicere bellum.
Hic uentrem assuescit nocturno pascere furto;
Ille auro mortesque uirum, patriaeque ruinam
Venditat, aut defert miseros, fruiturque tyrannis,
Nec postergata pretium captare siniſtra
Turpe putat, uel auo fatalia toxica miscet
Longaeuo nimium, aut patrem nil tale timentem
Obtruncat, potiturque ausis immanibus heres,
Efferrique suos lacrymanti lumine ridet:

Aut

Aut nemore umbroſo latitans obſeruat euntem,
Exuuias propter bellum commentus iniquum:
Exuuiis alter non eſt contentus, & ipſe
Producit fontem miſerorum ſanguine uitam,
Arſurasque urbes furtiuo fomite complet,
Vel populatur agros, uel ſummi templa Tonantis
Deſpoliat, uentremque malis atrocibus implet,
Donec ſumma dies ueniat, qua morte probroſa
Tunc aliquis luſor ſtygias mittendus ad umbras,
Vel iugulum gladio, uel praebet colla ſecuri,
Vel laqueo ſtringente gulam, ſublatus in altum
Nititur in caſſum, & deponit in aera uitam;
Vel circumpoſito medius comburitur igne;
Vel ſubit aethereis inimicas ignibus undas:
Horrida dilacerant alios tormenta rotarum;
Vidimus & quosdam, mactati more iuuenci,
In triuiis & quadriuiis pendere ſeorſum.
Exitus ille manet, quos inſatiata libido
Ludendi miſeros ad iniquas impulit artes.
Nam raro uideas aliquos opuleſcere ludo,
Improbaque ad ſeros transmittere lucra nepotes;
At multos ludo uideas inopeſcere; quid? quod
Publica luſores a tergo infamia paſſu
Contiguo ſequitur, ueluti umbra pediſſequa corpus,
Inſignique nota maculatur opinio, quam non
Omne ſuperfuſis unquam mare diluet undis.
Spartanus quondam Thymon, ſeruator honeſti,
Miſſus Siſyphiam Spartae ſociare Corynthum,
Ludere primores inuenerat; ergo repreſſa
Infectaque ſtatim Lacedaemona pace reuerſus:
Non nobis, inquit, *ſit cum luſoribus ulla*
Concilianda fides, *non ſic maculabere Sparta.*
Et bene; nam probroſum eſt, conuixiſſe probroſo;
Nec licet impune luſoribus eſſe ſodalem,
Qui tibi corrumpent animum, ut carioſa putredo
Proxima tabificans uitio conſumit eodem.
Tutius iratos aliquis, foetosque ueneno
Incidat in colubros, mala quam conſortia, triſte
Exilium recti, & uitiorum ſemina prima:
Quae ſi radices agerent, tum denique uirus
Creſceret, in terris quo non uiolentius ullum eſt,
Mortificare animam, ſtygiaeque inferre paludi.
Quisquis es, o nunquam illecebris indulge malorum;
Suaue ſodalitium eſt, at praeſentiſſima peſtis,
Noxia perpetuo compenſat gaudia luctu.
Vt quod Sardois apiaſtrum germinat agris,
Diducens acri morientis labra cachinno;
Sic ſtabit magno tua quantalacunque uoluptas.
Conciliare bonis, & eris bonus, ut tibi felix
Viuorum in terra contingat portio tandem.
Sit licet aetherei latiſſima regia caeli,
Immenſumque capax, tamen aurea ſidera luſor
Non intrat, neque enim Teutates hoc ſinit, unco
Torquendos rapiens ſub triſtia tartara manes,
Teutates idem ludi fabricator & ultor.
Haec cenſura tamen metis claudetur honeſtis,
Damnoſum taxo ludum, non eutrapeliam,
Et permiſſa uiro ſolamina: qualibus olim

Socratis integritas, grauitasque ſeuera Catonis,
Haec res urbanas & publica pondera Romae,
Illa triplex Sophiae ſtudium, curasque leuabat.
Nam ſub faſce graui ne mens humana fatiſcat,
Alternis labor & requies ſibi cedere debent.
Frangitur ipſe chalybs Scythicum curuatus in arcum,
Laſſato nunquam uiſus requieſcere neruo.
Hunc igitur tantum cenſoria Muſa notarit,
Qui ludum exercens, ut ſeria, quotidianum,
Hactenus ingenii uires, operamque diurnam
Proſtituit, nulla laſſatus ſedulitate,
Vt uelit infami uictum ſibi quaerere lucro,
Impoſtor, mendax, periurus, ſanguinolentus,
Spurciloquus, raptor, blaſphemus, & impius erga
Caelicolas, aliisque malus, ſibi peſſimus uni.
Qualis erat *Schelkropf*, ſtygii Teutatis alumnus,
Atque opifex ſceleris, quo uix truculentius ullum,
Inter ephemeridas Graium, annalesque Latinos
Inuenies; faxo, tantum ſcelus ordine diſcas,
Si me propitia dignaberis aure canentem.
Ver erat, & zephyris frontem reſoluta benignis
Terra parens gremio flores fundebat aperto.
Taedia mortales urbis, hiemisque peroſi
(Vt fit) in apricis captabant gaudia campis.
At *Schelkropf* ludi miſero uexatur amore;
Non illum uitrei fontes, non florida tempe
Sollicitant, ludum uecors noctesque diesque
Cogitat, & ne non ludens ſua tempora perdat,
Quaerit inops animi, cum queis communia tractet
Gaudia, nec dubitat, qua ſint regione petendi,
Vilibus indulgens perfricta fronte popinis.
Sic latet obſcuro propter ſua retia nido,
Captatrixque omnes exſpectat aranea muſcas,
Peruolitant aliae diſſecta caſſe nocentes,
Quod damnum reparant, tenuis quas tela fefellit.
Haud aliter *Schelkropf* luſores excipit omnes
Impiger, & uicibus damnum patiturque, facitque.
Vt primum ergo ſui ſimiles uix denique nactus,
Protinus infami ſe compoſuere taberna,
Quae floris nomen, florisque inſigne tenebat;
Prima ſuburbanas inter fuit illa popinas,
Qua Rheno patri Moenus committitur, atque hinc
Pronus in oceanum communi uoluitur alueo.
Huc ea faex hominum poſtquam confluxit, ad unguem
Exercent notas artes, quaſſantque fritillos,
Inſidiasque locant auro, & ſua retia pandunt.
Hic *Schelkropf* aliter, quam ſpe conceperat ante
(Quippe iacet ſpem, remque inter mons arduus) ingens
Argenti luſit ſignati pondus & auri;
Siue quia & clauus clauum trudebat, & artem
Ars melior (nemo eſt, qui nouerit omnia ſolus)
Siue quod inuita necquicquam luderet illa,
Quae nutu (ut fama eſt) rerum moderatur habenas;
Dicta tyche quondam Graecis, fortuna Latinis.
Quo magis hic dominam ſequitur, ueneratur, adorat,
Hoc magis haec illum fugit, auerſatur, abhorret.
Quoque magis paſſo ſe uult euoluere damno,
Hoc magis inuoluit; ceu ſi fera capta repugnet

Arctius adducens laqueos, atque implicet ultro.
Ergo miſer pro fortuna ſpem captat inanem;
Vltima ſpes illum non deſerit, ultima uicto
Suppetias affert animo, &, neu ludere ceſſet,
Callida ſolatur, donec tandem improbus omnem
Materiam ludi ludus conſumpſit, & ipſe
Schelkropf exhauſta ſedit miſerabilis arca.
Ergo ubi de nummis penitus fugientibus actum eſt,
Ipſa etiam elapſa eſt manibus ſpes lubrica tandem,
Et ſe per liquidum plaudentibus abſtulit alis
Aethera, decepto multum luſore cachinnans.
Mox animum ſubiit male deſperatio ſuadens,
Teutatesque ſuis comitatus Erinnybus, ille
Quid ſit opus factu ueſtigant, inueniuntque
Pectus luſoris uacuum uirtutibus antrum,
Quo primum furtim blandis illapſibus intrant,
Et ſeſe inſinuant, ceu non aliunde uocatae,
Sed genitae cum corde ferunt: nec reſtitit ille,
Incautusque ſuis animi conceſſit habenas
Hoſtibus, infelixque ſui obliuiſcitur ultro.
Mox furiae triplices intra praecordia regnant,
Iamque ex confeſſo ſumma dominantur in arce,
Et Phlegetonteos imis penetralibus ignes
Subiiciunt manibus, poſſeſſaque pectora torquent.
Tum uero *Schelkropf*, ſtimulis agitatus amaris,
Accenſi impatiens animi, bacchatur & ardet,
Caelitibusque Deis conuitia peſſima dicit
Impius, haud aliter, quam ſi, placidiſſime IESV,
In cauſſa ludique ſui, damnique fuiſſes.
In te culpam omnem transfert, culpabilis ipſe,
Blaſphemaque furens tua uulnera uoce laceſſit.
Blaſphemaſſe parum eſt, niſi conſentanea uerbis
Facta ſtatim ſubeant, bellumque indicat aperte
Caelicolis; tanta eſt caecae confuſio mentis.
Quid deſperatus non audeat? ecce per agros
Mox defrenato ſe proripit impete *Schelkropf*,
Flagitiumque ingens ſecum ſub pectore uoluit.
Haud aliter, quam cum rupto ruit aggere torrens,
Communi fato proſternens obuia quaeque,
Nec parcit flauae ſegeti, nec mitibus uuis,
Ad uotum agricolae ſurdus, miſerabile uiſu:
Sic *Schelkropf* aures rationi recta monenti
Obruit, & caeco rapitur per deuia curſu,
Optatum donec, quod diximus ante, ſacellum
Contigit: hic firmat curſum, ueluti hoſte propinquo,
Et ſeſe expediit, ſceleratumque exigit enſem.
Hic illi tales poterant ſuccurrere curae;
Quid facis infelix? quo te furor impius aufert?
Nonne uides ueneranda tuae monimenta ſalutis?
Effigiemque boni pendentis ab arbore IESV?
Audebisne unquam tantum ſcelus, & noua priſcis
Vulnera uulneribus dextra cumulabis iniqua?
Haec ſunt, quae pro te morienti praemia reddes?
Illi autem certo facinus crudele patrandi,
Mens durata malis callum iam duxerat, & iam
Extingui nullis poterat rationibus ardor.
Continuo *Chriſti* caput a ceruice reſectum
Abſtulit enſe ferox: ater, miſerabile uiſu!

Exiliit

Exiliit ligno cruor; ut, cum uiua fatelles
Corpora decollat, praecisae sanguine uenae
Exundant, animamque uomunt, largumque cruorem.
Nec tua te, *Virgo*, pietas, qua protegit * orbem,
Protexit: ferrum crucifixi a caede cruentum
In te conuertit scelerati dextera *Schelkropf*,
Roboreumque caput rigido petit impius ense;
Protinus hoc etiam manat de stipite sanguis
Terrificus. Verum iam caecus ad omnia *Schelkropf*
Virginis os, faciemque ferit, nec multa dedisse
Vulnera contentus, caesim iam denique pectus
Virgineum, tanquam sensurum, fodicat, ac si
Haud dubiam inferret tam certo uulnere mortem.
Vltima sacrilegae restabat * uictima dextrae,
Qui, si uiuus eras, poteras trepidare, *Iohannes*,
Victima certa quidem; nam cur tibi parceret uni?
Crudelis qui non *Christo*, *Mariae*que pepercit?
Ergo tibi malas repetito perculit ense,
Mox nasumque oculumque uno transuerberat ictu,
Bacchaturque ferox. Sed singula uulnera uersu
Quis recitare uelit? potius miremur, ab omni
Vulnere purpureum subito manasse cruorem,
Seu cruor hoc, seu succus erat, similisque cruori
Stiria. Magnorum * uerum haec miracula Diuum
Quid fuerint, aut qua ratione creentur, ad unguem
Explorare nefas. Satis est, si supplice cultu
Et non impuro Dominum ueneremur honore.
At postquam *Schelkropf* ferali crimine mentem
Expleuit, furiisque manus truculenta magistris
Paruit, horribiles nutu concussit echidnas
Tisiphone exultans, mirisque exercuit alas
Plausibus, expressitque suam stridore stupendo
Laetitiam, scelerisque nouo noua mente flagella
Destinat. Ipse etiam Pluto, durissimus atri
Rex erebi, fuligineo trabeatus amictu,
Ad scelus auditum resoluta fronte cachinnos
Edidit. Allusit blandis ululatibus olli
Cerberus excubitor, risu laetatus herili.
Vidisses, quo se Teutates more ferebat,
Haec accepta suo referentem carmina ludo;
Heu quanto fastu, quali ambitione superbus!
Vtque habeas paucis Acherontia gaudia (mirum est)
Tortores, tortique * suos plausere per ignes,
Estque per afflictos manes laetissima toto
Reddita uox erebo. Tanta est concordia praui,
Tantus amor scelerum durat Phlegetonte sub imo.
At *Schelkropf* iam tum dira satiatus Erinni,
Postquam terrificum ligno manare cruorem,
Et non uana suo uidit data uulnera ferro,
Pallet; ut hiberno decussae turbine frondes:
Et circumfudit gelidus praecordia sanguis,
Diriguitque caput sursum * nitente capillo.
Quin totus, ueluti uibrata aquilonibus arbor,
Intremuit, cecidere illi feritasque, furorque.
Scilicet ultrices metuebat Numinis iras.
Nec frustra. Nam cum subito dare terga pararet,
Haesit, ut arborea truncus radice retentus,
Et, tanquam alpinae cautes, immobilis astat,

* Ser. *protegis*

* Ser. *restabas*

* Ser. *Magnarum rerum*

* *VVimphel.* male, *totique*

* Ser. *intendente*

Vsque

Vsque sub aduentus hominum. Miremur eundem
Ad poenam potuisse rapi, & nequiisse moueri,
Vt poenam fugeret. Sed scilicet omine tactus,
Exsanguisque metu stabat, tam corporis impos,
Quam mentis. Vel te, paricida nefarie, magni
Laesa Dei pietas, quo * temperat omnia nutu,
Sistebat: nam quae dederas crudeliter illi
Vulnera, non etiam te impune dedisse uolebat.
Quae tamen, ha! demens, tibi confidentia suasit
Bella mouere Deo, qui te, qui cuncta creauit,
Quique est, ne tu sons morereris, mortuus insons,
Quem caeli, terraeque tremunt, quem nulla potestas
Ire audet contra, hunc sperasti, perfide, ferro
Exanimare Deum, uictoque illudere uictor.
Nec tua uiuenti (tanta impietate furebas)
Dextra peperciſſet passuro fata secunda.
O scelus, aeterna uix emaculabile flamma,
Quod nec Aloidae fratres, immania quamuis
Corpora, tentassent, nec quos tulit Isthmos & Attis
Latrones, aterque Scinis, toruusque Procustes,
Aut ferus Erystheus, implacatusue Lycaon.
Vix equidem humano dignor te sanguine natum
Credere; nam saeuis tua si respondet origo
Moribus, effudit quinta te succuba luna
Tisiphone, natus stygios pro lacte liquores
Libasti, tetrumue immulsit ab ubere uirus
Eumenis Alecto, nec defuit inde Megaera,
Sedula cunarum custos, motrixque tuarum:
Et tibi funereus nascenti carmina bubo
Accinuit, porro uenturae nuntia cladis.
Vsque adeone sui capiunt obliuia quemque,
Qui conferre manus cum maiestate uerenda
Audeat infelix putrefactae glebula terrae:
Vt si Marmoricum Cynomyia forte leonem
Debilibus nimium temeraria prouocet armis.
Sic olim tellure sati (si fabula uera est)
Irrita cum superis gesserunt bella gigantes,
Quippe per insano congesta cacumina nisu
Aggressi aethereas armis exscindere portas,
Et pulsis habitare Deis, rerumque potiri.
Quos omneis iusta calefactus Iuppiter ira
Fulmine prostratos terris detriuit in imis.
Fabula sic narrat: sed si propiora sequamur
Daemona, Luciferum dixere Typhoea Musae,
Luciferum, qui diuini sperator honoris,
Imperium caeli, maiestatemque uerendam
Promoto ambibat solio, deitatis anhelus.
Non tulit hunc fastum diuina potentia, sed mox
Luciferum & socios, cassos insignibus, omnes
In flammam & tenebras alto deiecit olympo.
Non tamen ille manus Domino trux intulit, ut tu,
Qui uita spoliare Deum, scelerate, uolebas
Illum non mortalem, illum ammodo non moriturum.
O furiale nefas! uah confidentia! mirum,
Fulmina quod cessant, quod non tibi terra dehiscit,
Quod te non stygii rapiunt sub tartara uiuum
Tortores. Sed tanta Dei est patientia, qui te
Exitio mauult uinctum seruare salubri.

* Scr. quae

Nam pars eſt, hominum manibus periiſſe, ſalutis.
Haud aberunt de te cupient qui ſumere poenas.
Nuſquam hodie infelix fugies, te nemo Deorum
Eripiet fatis iamiam uenientibus. Omnes
Caelicolas (nimium, o nimium crudelis) in uno
Laeſiſti; ſceleris poenas dabis omnibus unus,
Et iam lictores uicina Maguntia mittet.
Stabat adhuc ſaluis antiqua Maguntia rebus,
Plena uiris, nondum uinci & ſeruire paratis,
Aemula florentis Troiae, aut Carthaginis altae,
Concordi plebemque patresque in pace regebat;
Ciuilis nec adhuc labefecerat omnia motus.
Poſtquam ergo tanti ſceleris peruenit ad urbem
Fama, Senatores mittunt, qui crimine uiſo
Protinus iniiciant ſcelerato ſtupea collo
Vincla, manusque ligent intortis funibus ambas,
Et fontem fido latronem carcere ſeruent.
Cogitur interea totus de more Senatus
In mediumque rei ſeries proponitur; omnes
Maieſtas mouit ſummi uiolata Tonantis.
Mouerunt multos tepidi portenta cruoris,
Veraque corporibus fictis data uulnera, multos
Ipſa Dei nutu mouit patefacta uoluntas.
Namque hic ne Superum temerator inultus abiret,
Hunc ipſum uoluit flagranti crimine prendi,
Affixitque ſolo poenae mortisque futurum
Mancipium. Varia haec omnes in mente uolutant.
Tum bona pars nigris urnam cumulare lapillis,
Et capitale ſcelus pallenti funere damnant.
Sed licet haec longe uincat ſententia, mortis
De genere ambigitur; nam ſi crudele rependas
Opprobrium, decies repetita morte piandum eſt,
Supplicioque ſuo ſceleris non ſufficit autor.
Triſtia Phalaridis uincunt ea crimina taurum,
Et quicquid Siculi quondam inuenere tyranni;
Immo quicquid habet ſtygias Rhadamantus ad undas
Gnoſius, imperio quatiens duriſſima regna.
Ergo ſuperuacuum eſt, aequales reddere poenas
Huic ſceleri; haud aliter, quam ſi quis praemia Chriſto
Reddere pro meritis uana pietate laboret.
Viſum igitur multis primoribus, igne piari
Tantum poſſe nefas, animamque expellere flamma
Eſſe immite inter pereundi mille figuras,
Poenarumque ſatis. Pedibus ſententia creuit,
Vrnaque funereis ſtabat foecunda lapillis.
Eſt locus inter agros bibulis tantum uber arenis,
Qua uidet occiduum Troiana Moguntia ſolem,
Hic ubi condebant uiles ſua funera uerpi,
Deglabrata prius, tepidoque infuſa Lyaeo.
Huc *Schelkropf* magna populi comitante caterua
Ducitur infelix, illique extrema ſorores
Lanificae ante diem morituro fila legebant.
Nec mora, correptum tortor iam ad fata parabat,
Defoſſoque palo uinclis & fune madenti
*Firmabat, iam uerba minus uiolenta ſonantem,
Deiectoque humilem uultu, & feritate remiſſa
Damnantem penitus, quondam ſua gaudia, ludum;
Quem ſi uitaſſet, iam non crudele ſubiret

* *VVimphel.* male, *Affirmat*

Suppli-

Supplicium. Haec ſtudio ſecum reputabat inani.
At ſero ſapuiſſe Phrygas, quid profuit? Ergo
Nequicquam tales agitantem pectore curas
Tortor tormentis uallabat & ilice multa,
Vix patiens extare caputque humerosque ſupremos;
Tum uero immittat fungis arentibus ignem
Excitat, & circum ſubiectis undique taedis
Materiam incendit. Tum ſe glomerare ſub aſtra
Vidiſſes primo fumum, quem lucidus ignis
Conſequitur, prohibetque auras accedere iuxta,
Ne ſpirare queat *Schelkropf*. Verum ille dolore
Corporis ambuſti, uicinaeque impete mortis
Vincula nequicquam niſus diuellere, tandem
Victus anhelanti fatales pectore flammas
Hauribat moriens, &, ni tua, Chriſte, uetabat
Gratia, perpetuos ex hoc igne ibat in ignes.
Interitu hoc *Schelkropf* facinus tam triſte luebat,
In quo pro meritis furiae ſua dira flagella
Atque omnes poterant erebi conſumere poenas.
Interea ut ſeri tam triſtia facta nepotes,
Vltoresque Deos noſſent regnare per orbem,
Et neu utleſcat cruor admirabilis unquam,
In mediis neglectus agris, ueneranda uetuſtas
Haec ſimulacra crucis hac *Virginis* aede recepit.
Nunc etiam horrifici miracula tanta cruoris
Relligione monent* reſides, Dominique timorem
Segnibus incutiunt, atque indurata malorum
Pectora demulcent, meritoque coluntur honore.
Hoc omnes fanum ſtabili pietate ſalutant,
Ciuica plebs, pueri, iuuenesque, uirique, ſenesque,
Matronaeque, pium uulgus, uiridesque puellae.
Iam tandem emenſo ſperatum gurgite littus
Apparet, tumidum tandem tranauimus aequor,
Et feſſam terrae nunc obligat ora carinam.
CHRISTE parens rerum, cui ſe debere fatentur,
Quicquid ſunt caeli, terraeque, & quicquid in eis eſt,
Suſpice ſeruati per te uotiua clientis
Carmina, quae promiſſa tibi, tibi ſcribimus uni,
Non uulgo. Quis enim uulgo cecinisſe maligno
Audeat? & populi plauſum ſperare ferocis?
Qui ducens a Marte genus, Martique ſacratus
Barbiton ignorat, quodque ignorabat, abhorret,
Et quod abhorrebat, naſo ſuſpendit adunco.
Nullus, heu, Muſis locus eſt, ubi barbara pollent
Corpora Lethaeis olim digniſſima lymphis.
Nec mores patrii mores, queis temnitur omne
Mitius ingenium, & non intellecta Poeſis.
Si ſapis, hinc celeri te propripe, Clio, uolatu,
Barbariemque relinque ſibi; ſine, triſtis aſellus,
Auritum & deforme pecus, ſua ſtramina tantum
Norit, non doctae uocalia barbita Muſae.
At tu, quicunque es, blanda dignaberis aure,
Si tamen eſſe ſcies ſubitaria carmina, lector,
Et ſubſeciuo properatam tempore Muſam,
Leguleium quicunque decent ex tempore uerſus,
Inter nodoſi faſtidia barbara iuris.
Quandoquidem egregius crepidam male pinxit Apelles,
Inque annos differre nouem ſua carmina, uatum eſt,

* Ser. mrnéni

Dum ſapiant oleum crebris uigilata lucernis.
Haec faciant, genioque ſuo Muſisque dicati,
Quorum perpetua cinguntur tempora lauru;
Libera proſcriptis qui ducunt otia curis,
Qui rebus poſuere modum ciuilibus, &, ſe
Contenti, rident uani ludibria uulgi:
Qui non marmoreis nitentia tecta columnis,
Sed laureta colunt, ueſtitaque frondibus antra;
Quique foro dixere uale; quorum aurea uero
Mens foecunda Deo parit immortale poema.
* At mihi non ſtudium laudis, non curo placere,
* Ser. *Eſt*
Perpetuis alii ſeſe inſertare laborent
Vatibus, & uitam placituro extendere uerſu.
Greſmundo ſat erit, uel ſi ſua carmina ſoli,
CHRISTE, tibi placeant. Nec enim popularibus auris
Paſcitur ingenium, quod iam tibi militat uni,
Teque ducem ſequitur, quocunque uocaueris, ultro,
Et pridem accepit depulſae praemia febris,
Donatiuum ingens: quod ſi cumulare corolla
Vis aliqua largus, non ſit mihi gloria merces;
Non aliud quicquam dederis, quod uulgus inane
Miratur, cum te precibus, uotisque fatigant.
Te mihi da, & uacuo clemens illabere cordi.
Tu mihi pro gaza Croeſi, pro ſorte Metelli,
Pro neruis magni Alcidae, pro Neſtoris aeuo.

FINIS.



DE